

ἄρα, & legendum: τὸ δ' ἄρα ἀλλήγορέμαον est Sina, vel
 Agar figuratè est Sina. Nam Agar, & Sina, vel lex in mon-
 te Sinâ lata, sunt σύσχητα & consentanea, quæ conveniunt in
 uno tertio, putà in generatione servorum. Cum verò Apost:
 voci *Sina* immediatè subjungat hoc prædicatum: *Mons est in*
Arabiâ, quod requirit Subjectum, de quo propriè dicitur,
 quòd sit mons in Arabiâ, Vox Sina in Textu bis legenda (1) in
 figuratâ significatione (2) in significatione propriâ. In illâ Si-
 na est prædicatum, ut: Agar figuratè est Sina: In hac verò Si-
 na est Subjectum, ut: Sina propriè est mons in Arabiâ. Sic
 textus est clarus, & omnis ambiguitas sublata.

(2) *Probat*, quòd Agar figuratè sit Sina, vel similis legi, in
 monte Sinai promulgatæ, seqq: argumentis:

Primum argumentum Apostoli.

Si Agar non esset figuratè Sina, non collocaretur in eadem serie
cum præfente Jerusalem; Collocatur autem in eadem serie cum
Jerusalem, quæ nunc est, vel cum populo legali: quod proponit
 v. 25. Ubi (α) Apost: non loquitur de Jerusalem simpliciter, sed
 de Jerusalem, quæ fuit tempore Pauli, de Jerusalem terrenâ,
 legali, de Jerusalem ex monte Sinâ, qualis fuit tempore Mes-
 siæ incarnati & exhibiti, & tempore Apostolorum. Hanc
 Apost: vocat filios Agar. (β) Verbum συσχεῖν significat affini-
 tatem, vel similitudinem habere, vel pari serie stare, & col-
 locari. Nam σύσχητα sunt consentanea, affinia, cognata, &
 similiter se habentia, ut Agar mysticè sive figuratè sumpta,
 Jerusalem terrestris, populus legalis, Synagoga Judaica, quia
 conveniunt in eo, quòd generant servos.

Secundum Argumentum.

Si Agar non esset figuratè Sina, non serviret cum filiis suis, si-
ve Judeis, qui volunt esse sub lege. Servit autem cum Filiis su-
is; quod proponit v. eod. δαλέουσι δὲ μετὰ τῶν τέκνων αὐτῆς. Ubi
 textus iterum est supplendus per prius membrum, & Syna-
 goga